

XXIX.

Anno 1194. die 9. Julii. apud Tinium.

**Emericus, junior Rex, Regia auctoritate Dalmatiam et
Croatiam gubernat.**

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Anno ab Incarnatione D. N. Jesu Christi 1194 Mensis Julii die nono, intrante indictione XII. apud Tynum. Regnante Domino nostro Bela, Serenissimo Rege Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, atque Ramae, et Almerico (Emerico) filio super Dalmatiam et Chroatiam. Quum nos, nempe Petrus Spalatensis Sedis Archi-Episcopus, una cum Mathaeo Nonensi Episcopo et Damiano Jadertino Comite, et Grubessa, Spalatino Comite, caeterisque Nobilibus, quorum nomina inferius subscribentur, in Ecclesia S. Joannis de Tyno, ad controversias, quod inter Templarios et monasterium SS. Cosmae et Damiani pro terris et aquarum decursibus vertebantur, resecandas, de mandato regio resideremus; post multas altercationes, et verba, quae memoratae Ecclesiae inter se habebant — — de voluntate utriusque partis suscipientes pro bono pacis, et concordiae, talem inter utrasque Ecclesias finem, et divisionem auctoritate regia composuimus. (Hinc limites describuntur; deinde ita proseguitur). Stabilimus etiam, vt si qua utriusque partis antiqua tutamenta vel scripta, praeter hanc nostrae Chartam constitutionis — — praesumserit; Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum, et nostram maledictionem incurrat; fiatque anathema, et super hoc poena duarum librarum auri mulctetur. Quae omnia firma et rata esse volumus, praesente Gualterio Magistro, et fratre Aczo praeceptore et omnibus fratribus; et Dominico Abbate, Privioria monacho et Diminoschia monacho, cunctisque fratribus; coram idoneis testibus, Petro Sagarelle, et Tolmatio et Burello, presbiteris Spalatinis. De Jadertinis vero fuerunt testes hi: Petruna Cucille, Peitiz Vitache, Peitiz Michaelis, Georgius Soppe, Bitte de Juda, Bitte Prestantii cum fratre Grisogono, Petrus Saluradi Templariorum advocatus, et quam plures alii. De Sclavis vero fuerunt testes hi: de Dominis, Jupanus, Wlcominis Jupanus, Berisius Jupanus, Grubescia Gaudii Jupanus, et Slillizus Jupanus cum pluribus aliis. Fuerunt etiam testes ibidem hi venerabiles viri: Gregorius Antivarensis Archi-Episcopus et Vincentius Sancti Chrysogoni Abbas, cum suis monachis et multis de plebe. Et ego Basilus diaconus et Jadertinae Civitatis Notarius, qui interfui, hanc constitutionis et concordiae chartulam jussu jam dicti Archi-Episcopi Spalatensis, et Nonensis Episcopi, ac Comitum praescriptorumque testium rogatu, ut audivi, complevi, roboravi, et signo consveto signavi.

Farlati. Illyricum Sacrum T. III. p. 225. — Katona H. C. R. H. Tom. IV. pag. 428. sq. — Fejér Codex Dipl. Regni Hung. T. II. p. 296.